Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35083
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



fines terre. Et adorabunt eum omnes
tribus gentium: universe familie gentium.
Quoniam domini est regnum: et ipse dominabitur gentium. Manducaverunt et adorabunt omnes pingues terre: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram. Et anima mea illi vivet: et semen meum serviet ipsi. Annunciabitur domino generatio ventura: et annunciabit celis iustitiam eius: populo qui nascetur quem fecit dominus. psalmus xxiii

Dominus regit me: et nichil mihi deerit. In loco pascue ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit. Deduxit me super semitas iustitie: propter nomen suum. Nam et si ambulavero in medio umbre mortis: non timebo mala quoniam tu mecum es. Virga tua et baculus tuus: ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mensam: adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam preclarus est. Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vite mee. Et ut habitem in domo domini: in longitudinem dierum. xxiiii

Domini est terra et plenitudo eius: orbis terrarum et universi qui habitant in eo. Quia ipse super maria fundavit eum: et super flumina preparavit eum. Quis ascendet in montem domini: aut quis stabit in loco sancto eius. Innocens manibus et mundo corde qui non accepit in vano animam suam: nec iuravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem a domino: et misericordiam a deo salutari suo. Hec est generatio querentium eum: querentium faciem dei iacob. Attollite portas principes vestras: et elevamini porte eternales: et introibit rex glorie. Quis est iste rex glorie: dominus fortis et potens dominus potens in prelio. Attollite portas principes vestras: et elevamini porte eternales: et introibit rex glorie. Quis est iste rex glorie: dominus virtutum ipse est rex glorie. Gloria. psalmus dauid xxiiii

Ad te domine levavi animam meam: deus meus in te confido non erubescam. Neque irridentur me inimici mei: etenim universi qui sustinent te non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes: super vacue. Vias tuas domine demonstra michi: et semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua et doce me: quia tu es deus salvator meus: et te sustinui tota die. Reminiscere miserationum tuarum domine: et misericordie tue que a seculo sunt. Delicta iuventutis mee: et ignorancias meas ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam domine. Dulcis et rectus dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Dirigit mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas. Universe vie domini misericordia et veritas requirentibus testamentum eius: et testimonia eius. Propter nomen tuum domine propitiabis peccato meo: multum est enim. Quis est homo qui timet dominum: legem statuit ei in via quam elegit. Anima eius in bonis demorabitur: et semen eius hereditabit terram. Firmamentum est dominus timentibus eum: et testamentum ipsi